



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum pœnæ particulares primorum parentum conuenienter assignentur
in scriptura? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

vtuntur, fit eis mors meritoria.
 Ad septimum dicendum, quod mors dupliciter accipi potest. Vno modo pro ipsa priuatione vitæ: & sic mors sentiri non potest, cum fit priuatio sensus & vitæ. Et sic non est pœna sensus, sed pœna damni. Alio modo, secundum quod nominat ipsam corruptionem, quæ terminatur ad priuationem prædictam. De corruptione autem, sicut & de generatione dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundum quod est terminus alterationis. Et sic in ipso instanti, in quo primo priuatur vita, dicitur inesse mors. Et secundum hoc etiam mors non est pœna sensus. Alio modo, corruptio potest accipi cum alteratione præcedente, prout dicitur aliquis mori dum mouetur in mortem: sicut & dicitur aliquid generari, dum mouetur in generatum esse. & sic mors potest esse afflictiva.

lib. 12. c. 2. sed nõ super Genes. ad literam, quamuis annos multos primi his ver- rent, quo mortis legem, qua in senium veteralco maliter, acceperunt.

ARTIC. II.

Utrum conuenienter particulares pœna primorum parentum determinentur in scriptura?

797
 2. dif. 29.
 ar. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod conuenienter particulares pœnæ primorum parentum determinentur in scriptura. Non enim debet assignari vt pœna peccati, id quod etiam sine peccato esset. Sed dolor in pariendo esset, vt videtur, etiam sine peccato. Hoc enim requirit dispositio feminei sexus, vt proles nasci non possit sine dolore parientis. Similiter etiam subiectio mulieris ad virum consequitur ad perfectionem virilis sexus, & imperfectionem muliebris. Germinatio etiam spinarum & tribulorum, ad naturam terræ pertinet, quæ fuit etiam sine peccato. Non ergo huiusmodi sunt conuenientes pœnæ primi peccati.

¶ 2 Præterea, Id quod pertinet ad dignitatem alie-
 zis non videtur ad pœnam eius pertinere. Sed mul-
 tiplicatio conceptus pertinet ad dignitatem mulieris.
 Ergo non debet poni quasi mulieris pœna.

¶ 3 Præterea, Pœna peccati primorum parentum
 ad omnes derivatur, sicut de morte dictum est *. *at. præc.*
 Sed non omnium mulierum multiplicantur conce-
 ptus, nec omnes viri in sudore vultus sui pane ve-
 scuntur. Non ergo istæ sunt convenientes pœnæ pri-
 mi peccati.

¶ 4 Præterea, Locus paradisi propter hominem
 factus erat. Sed nihil debet esse frustra in rerum or-
 dine. Ergo videtur quod non fuerit conveniens ho-
 minis pœna, quod à paradiso excluderetur.

¶ 5 Præterea, Locus ille paradisi terrestris de se
 dicitur esse inaccessibilis. Frustra ergo apposita sunt
 alia impedimenta, ne homo illuc reverteretur, sci-
 licet Cherubim, & gladius flammeus atque versa-
 tilis.

¶ 6 Præterea, Homo post peccatum statim ne-
 cessitati mortis fuit addictus, & ita beneficio ligni
 vitæ non poterat ad immortalitatem reparari. Fru-
 stra ergo ei usus ligni vitæ interdicitur, cum dicitur
 Genesi. 3 Videte ne forte sumat de ligno vitæ, & vi-
 vat in æternum.

¶ 7 Præterea, Insultare misero videtur misericor-
 diæ & clementiæ repugnare: quæ maxime in scriptu-
 ra Deo attribuitur, secundum illud Psal. 144. Misera-
 tiones eius super omnia opera eius. Ergo inconve-
 nienter ponitur Deum insultasse primis parentibus
 per peccatum iam in miseriam deductis: ubi dicitur,
 Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bo-
 num & malum.

¶ 8 Præterea, Vestitus ad necessitatem hominis
 pertinet, sicut & cibus, secundum illud 1. ad Timothe-
 vltimo. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his
 contenti simus. Ergo sicut cibus, primis parentibus
 fuit attributus ante peccatum, ita etiam & vestitus ar-
 tribui

414 QVÆST. CLXIV. ART. II.
tribui debuit. Inconuenienter ergo post peccatum
dicitur eis Deus tunicas pelliceas fecisse.

¶ 9 Præterea, Pœna quæ alicui peccato adhibetur, debet plus habere in malo, quàm emolumentum quod quis ex peccato consequitur: alioquin per penam non deterreretur quis à peccato. Sed primi parentes ex peccato consecuti sunt, quod eorum oculi aperti sunt, ut dicitur Genes. 3. Hoc autem præponderat in bono omnibus malis pœnalibus, quæ ponuntur ex peccato consecuta. Inconuenienter ergo describuntur pœnæ peccatum primorum parentum consequentes.

In contrarium est, quod huiusmodi pœnæ sunt diuinitus taxatæ à Deo, qui omnia facit in numero, pondere & mensura, ut dicitur Sap. 11.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est *, primi parentes propter suum peccatum priuati sunt beneficio diuino, quo humana naturæ integritas in eis conseruabatur: per cuius subtractionem humana natura in defectus pœnales incidit. Et idèò dupliciter puniti fuerunt. Primò quidem, quantum ad hoc quod subtractum fuit eis id quod integritatis statui competebar, scilicet locus terrestris paradisi: quod significatur Genes. 3. cum dicitur, Et misit eum Deus de paradiso voluptatis. Et quia ad illud statum primæ innocentie per seipsum redire non poterat, conuenienter apposita sunt impedimenta, ne rediret ad ea quæ primò statui competebar, scilicet à cibo, ne sumeret de ligno uitæ: & à loco. Collocauit enim Deus ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium. Secundò autem puniti fuerunt quantum ad hoc quòd attributa sunt eis ea quæ naturæ conueniunt tali beneficio destituta. Et hoc quidem & quantum ad corpus, & quantum ad animam. Quantum quidem ad corpus ad quod pertinet differentia sexus, alia pœna attributa est mulieri, alia viro. Mulieri quidem attributa est pœna secundum duo, propter quæ viro coniungitur, quæ sunt generatio

ratio proles, & communicatio operum pertinentium ad domesticam conuersationem. Quantum autem ad generationem proles, punita fuit dupliciter. Primo quidem, quantum ad tedia quæ sustinet portando prolem conceptam. Et hoc significatur cum dicitur, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Et quantum ad dolorem quem patitur in pariendo. Et quantum ad hoc dicitur, In dolore paries. Quantum verò ad domesticam conuersationem, punitur secundum hoc quòd subicitur dominationi viri: per hoc quod dicitur, Sub viri potestate eris. Sicut autem ad mulierem pertinet, vt subdatur viro in his quæ ad domesticam conuersationem pertinent: ita ad virum pertinet quòd necessaria vita procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. Primò quidem, per terræ sterilitatem, cum dicitur, Maledicta terra in opere tuo. Secundo, per laboris anxietatem, sine qua fructus terræ non percipit. Vnde dicitur, In labore comedes de eadem diebus vitæ tuæ. Tertio, quantum ad impedimenta quæ proueniunt terram colentibus. Vnde dicitur, Spinas & tribulos germinabit tibi. Similiter etiam ex parte animæ triplex eorum pœna describitur. Primò quidem, quantum ad confusionem quam passi sunt de rebellionem carnis ad spiritum. Vnde dicitur, Aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt se esse nudos. Secundo, quantum ad increpationem propriæ culpæ, per hoc quòd dicitur, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Tertio, quantum ad commemorationem futuræ mortis, secundum quod ei dictum est, Puluis es & in puluerem reuereris. Ad quod etiam pertinet quod Deus fecit eis tunicas pelliceas in signum mortalitatis eorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd in statu innocentie fuisset partus absque dolore. Dicit enim Augustinus in 14. de Ciuit. Dei *, Sicut ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foemineæ.

vilce.

lib. 14. c. 26. circa me. to. 5.

viscera relaxaret : ita ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque coniungeret*. Subiectio autem mulieris ad virum intelligenda est in pœnam mulieris esse inducta, non quantum ad regimen, quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuisse, & eius gubernator extitisset : sed prout mulier contra propriam voluntatem, nunc necesse habet viri voluntari parere. Spinas autem & tribulos terra germinasset, si homo non peccasset, in cibum animalium : non autem in hominis pœnam : quia scilicet propter eorum exortum, nullus labor aut punitio homini operanti in terra accideret, ut Augustinus dicit super Genes. ad literam, quamvis Alcuinus dicat*, quod ante peccatum terra omnino spinas & tribulos non germinasset. Sed primum est melius.

li. 3. c. 18
rom. 3.

Ad secundum dicendum, quod multitudo conceptuum inducitur in pœnam mulieris, non propter ipsam procreationem proles, quæ etiam ante peccatum fuisset, sed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur ex hoc quod portat fœtum conceptum. Unde signanter coniungitur, Multiplicabo arum tuas & conceptus tuos.

Ad tertium dicendum, quod illa pœnæ aliter ad omnes pertinent. Quæcumque enim mulier concipit, necesse est quod æumnas patiat, licet cum dolore pariat, præter beatam Virginem, quæ sine corruptione concepit, & sine dolore peperit : quia eius conceptio non fuit secundum legem naturæ à primis parentibus derivata. Si autem aliqua non concipit neque parit, patitur sterilitatis defectum, qui præponderat penis prædictis. Similiter etiam oportet, ut quicumque terram operatur, in sudore vultus comedat panem. Et ipsi qui per se agriculturam non exercent, in alijs laboribus occupantur. Homo enim nascitur ad laborem, ut dicitur Iob quinto. Et sic panem

† ab

† ab alijs in sudore vultus elaboratum manducant. *fert. cum alijs in sudore vultus manducant.*
 Ad quartum dicendum, quod locus ille paradisi ter-
 rellis, quamvis non seruiat homini ad vsum, seruit ta-
 men ei ad documentum, dum cognoscit propter pec-
 catum se tali loco fuisse priuatum; & dum per ea que
 corporaliter in illo paradiso sunt, instruitur de his
 que pertinent ad paradysum cœlestem, quo aditus ho-
 mini preparatur per Christum.

Ad quintum dicendum, quod saluis spiritalis sē-
 sus mysterijs, ille locus præcipue videtur esse inac-
 cessibilis, propter vehementiam æstus in locis inter-
 medijs ex propinquitate solis. Et hoc significatur per
 flammeum gladium, qui versatilis dicitur, propter
 proprietatem motus circularis huiusmodi æstum cau-
 santis. Et quia motus corporalis creature disponitur
 ministerio angelorum, vt patet per Aug. 3. de Trin.* *c. 4. 10. 3.*
 conuenienter etiam simul cum gladio versatili Che-
 rubin adiungitur ad custodiendam viam ligni vitæ.
 Vnde Augustinus dicit in vndecimo super Genes. ad
 litteram*, Hoc per cœlestes vtique potestates etiam *c. 40. in
 fin. 10. 3.*
 in paradiso visibili factum esse credendum est, vt
 per angelicum ministerium esset illic quedam ignea
 custodia.

Ad sextum dicendum, quod homo si post peccatum
 de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immorta-
 litatem recuperasset, sed beneficio illius cibi potuis-
 set vitam magis prolongare. Vnde quod dicitur, Et
 viuat in æternum, sumitur ibi æternum pro diuturno.
 Hoc autem non expediebat homini, vt in miseria hu-
 ius vitæ diutius permaneret.

Ad septimum dicendum, quod sicut Aug. dicit 11.
 super Genes. ad litteram*, Verba hæc Dei non tam *c. 39. post
 med. 10. 3.*
 sunt primis parentibus insultantis, quam ceteros, ne
 illa superbiant, deterrentis, propter quos ista conscri-
 pta sunt: quia scilicet non solum Adam non fuit fac-
 tus qualis fieri voluit, sed nec illud ad quod factus
 fuerat conseruauit.

Ad octauum dicendum, quod vestitus necessarius
 est

Sec. Sec. Vol. iij.

D d est

est homini secundum statum presentis miserix, propter duo. Primo quidem, propter defectum ab exterioribus nocentis, puta intemperati caloris & frigoris. Secundo, ad tegumentum ignominix, ne turpitudine membrorum appareat: in quibus præcipue manifestatur rebellio carnis ad spiritum. Hæc autem duo in primo statu non erant, quia in statu illo corpus hominis non poterat per aliquod extrinsecum laedi, ut in primo dictum est*. Nec etiam erat in statu illo aliqua turpitudine in corpore hominis, quæ ad confusionem induceret. Unde dicitur in Gen. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & vxor eius; & non erubescabant. Alia autem ratio est de cibo, qui est necessarius ad fomentum caloris naturalis, & ad corporis augmentum.

1.2. q. 97
ar. 2.

innuitur undecimo super Genes. ad litteram*, Non est credendum quod primi parentes essent producti clausis oculis: præcipue cum de muliere dicatur, quod vidit lignum quod esset pulchrum & bonum ad vescendum. Aperti ergo sunt oculi amborum ad aliquid intueendum, & cogitandum: quod antea numquam aduertebant, scilicet ad inuicem concupiscendum, quod ante non fuerat.

QVÆST. CLXV.

De Tentatione primorum parentum, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de tentatione primorum parentum.

- ¶ Circa quam quærentur duo.
¶ Primo, utrum fuerit conueniens quod à diabolo homo tentaretur?
¶ Secundo, de modo & ordine illius tentationis.

ARTIC. I.

Utrum fuerit conueniens, ut homo à diabolo tentaretur?

798

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens, ut homo à diabolo tentaretur.